

est dictio respectu verbi quod format, et intellectio respectu objecti quod attingit; eadem intentio amat finem ut objectum, et imperat, seu movet ad electionem mediorum ut ad effectum, idem actus intelligit objectum, et movet voluntatem, cognoscit principia, et infert conclusiones, nec tamen isti sunt diversi actus, sed ejusdem actus diversi effectus, et connotationes, seu respectus.

XXI. Ad secundam confirmationem negatur sequela, quia bene potest quis operari contra conscientiam in particulari expellendo illam per contrarium dictamen, quia iudicium, seu dictamen malum excludit. Remanet tamen conscientia quantum ad rationem, et principia communia, et universalia, quæ sunt in syndæresi, et ratione illorum remurmurat, et reprehendit, seu accusat conscientiam malam, et dictamen peccaminosum, quia hoc non conformatur, nec subordinatur illis principiiis, et ex hoc quod non subordinatur illis, reprehendit, et murmurat in contrarium.

DIVISIO CONSCIENTIÆ.

XXII. Multiplex est conscientia divisio, sed potest per genera sua reduci primo ad duo genera. Nam conscientia dividi potest vel ex parte objecti circa quod versatur, vel ex parte modi operandi, seu dirigendi operationes.

XXIII. Ex parte objecti dividitur conscientia in bonam et malam seu veram et falsam; bona dicitur, quæ versatur circa objectum bonum bene, id est, conformiter ad regulas rationis. Et hæc conformitas non sumitur rursus ex objecto ad conscientiam quasi illud sit bonum objectum, quod a bona conscientia et dictamine attingitur; sed bonum

objectum dicitur quod legi divinæ, vel humanæ, quæ ab ea derivatur, seu principiis rationis conformatur. Dictamen autem, seu conscientia bona, et recta est illa, quæ tale objectum sic regulatum proponit: et rursus illud bene proponere debet, quia cum istud objectum debeat in exercitio fieri secundum circumstantias debitas, quæ pertinent ad modum quo res debet fieri, oportet quod in isto modo, et circumstantiis non erretur, sed conscientia, seu dictamen bene proponat illud objectum, id est, debitis et bonis circumstantiis, et modo agendi. Ex hoc autem potest dignosci oppositum, scilicet conscientia mala quæ sit, scilicet quæ vel objectum malum proponit, vel objectum bonum non bene, sed malo modo, aut non debitis circumstantiis.

XXIV. Hinc etiam dignoscitur quæ sit vera, quæ falsa conscientia, id est, verum vel falsum dictamen. Vera enim conscientia dicitur, quæ utitur regula, et doctrina vera; falsa autem, quæ falsis regulis, aut doctrinis, vel notitiis utitur. Et in his rebus practicis cum veritas non tam sumatur ex eo quod in re est, vel non est (id enim speculatio considerat) sed ex eo quod conveniens, vel disconveniens est juxta regulas prudentiæ, in idem recedit quod conscientia sit vera, vel falsa, et quod sit bona, vel mala, quia illa est falsa regula, vel doctrina, quæ in inconveniens ducit.

XXV. Secundo modo sumitur divisio conscientia ex parte modi operandi, seu dirigendi actiones in conscientiam certam, dubiam, probabilem, scrupulosam, erroneam. Certa, seu indubitata conscientia est, quæ nulla hæsitacione, vel formidine de opposito pulsatur. Probabilis est, quæ adhæret uni parti, formatque dictamen de agendis ex probabili fundamento non tamen certo,

omnemque formidinem, et hæsitacionem excludente. Potest autem esse dupliciter probabilis. Uno modo speculative tantum: alio modo etiam practice. Speculative dicitur probabilis, quæ ex probabilibus fundamentis format iudicium de re aliqua secundum se, et quasi in abstracto ante prudentiale iudicium quod formatur de re, attentis omnibus circumstantiis hic et nunc. Practice autem probabilis dicitur illa conscientia, quæ format iudicium de re non in abstracto, et secundum se, sed juxta prudentiæ directionem attendentis hic et nunc circumstantias omnes. Et in summa, probabilis speculative est, quæ in disputando, et cognoscendo præcise suam habet probabilitatem, et fundamenta; practice, quæ in agendo et dirigendo hic et nunc probabiliter procedit, id est, non temerarie, sed prudenter.

XXVI. Rejicit autem hanc distinctionem Lorca hic disp. xxxviii, membro 1, cum Corduba lib. iii, quæst. v, et aliis levi ductu fundamento, quia tam practicum est quod pertinet ad conscientiam secundum se, et abstracte, seu in communi, quam determinate, et in particulari, nec enim differunt in ratione practici hæc duo iudicia: Omnis acceptio rei invito domino est illicita: hæc acceptio rei alienæ invito domino est illicita, quia utrumque ad directionem voluntatis pertinet.

XXVII. Et confirmatur, quia impossibile est iudicium practicum esse certum existente dubio speculative. Nam iudicium practicum est conclusio dependens a iudicio illo speculative, ut a præmissa a qua deducitur. Ut enim formem iudicium practicum, quod iste contractus est licitus debet deduci ex duplici præmissa; altera, hoc genus contractus est licitum; altera, hic contractus est talis generis: ubi illa

major est speculative, et in universalis cognita, et tamen si est dubia, non potest conclusio esse certa, quia qualibet præmissa existente dubia conclusio manet dubia.

XXVIII. Cæterum distinctionem hanc communiter omnes doctores admittunt, ut etiam fatetur Diana iv p. tract. iii de conscientia dubia, resolutione prima. Videndus est Cajetanus i tomo opusculorum, tractat. xxxi, responsione xiii, dub. vii; Navarrus in capite: Si quis autem, de pœnitentia, dist. vii, num. lxi; Medina super quæstione xix, articulo vi, dub. iv, et alii.

XXIX. Et ratio est manifesta, quia ratio in his rebus humanis, et contingentibus, non potest semper penetrare, et cognoscere, quid sit vel non sit a parte rei, et quando aliquid perveniat, vel non perveniat ad rationem peccati, nam etiam in his quæ volumus, et cogitamus, latet nos an consentiamus, vel resistamus, et in aliis multis non possumus plene scire quid sit, vel non sit in re, sed in hoc manemus dubii; ut conjux, quæ non scit an in re sit, vel non sit mortuus ejus vir; si hic vel ille fundus est meus, vel non in rei veritate, et tamen licet non penetremus, quid vere, et in re sit, vel non sit, possumus prudenter arbitrari, et dirigere quid faciendum sit; ergo differt quandoque in ipso iudicio, et dictamine conscientia formando iudicium practicum, et speculativum. Itaque cum iudicium speculativum solum respiciat cognitionem rei in se, practicum vero non id quod est in se, sed quod humano et prudentiali modo possibile est, multoties contingere potest quod probabiliter, et certo perveniamus ad id quod diligentia humana potest, et tamen ad id quod est in re, et secundum se non perveniamur nec certo, nec probabiliter, sed dubitanter.

XXX. E contra etiam quod possit esse probabile iudicium de rebus agendis disputative, et speculative, practice vero non, sed esse incertum constat, quia multoties discurrimus valde probabiliter ex principiis quæ assequimur circa aliquem finem, et circa naturam alicujus actus, ejusque bonitatem, aut malitiam, et tamen experientia oppositum monstrat, pluraque inconvenientia monstrantur ab experientia, quam a discursu, prudentia autem maxime ab experientiis formatur. Et similiter prudentia maxime innititur diligentiae, et attentioni circumstantiarum, quæ hic et nunc occurrere solent, speculatio autem quandoque ab eis abstrahit, et ita ex principiis sic abstracte consideratis iudicatur quandoque probabile quod pluribus aliis attentis, et sub alia consideratione visis non ita probabile iudicatur. Neque hoc negat Lorca, sed dicit hoc non esse distinguere speculativum et practicum, sed considerare quid habeat actus ex sua natura, et quid non habeat ex circumstantia. Sed hoc verum est, tamen hoc ipsum est procedere speculative, et practice, quia considerare quid habeat actus ex natura sua est speculatio, quia est abstractio, et quid habeat ex circumstantia, seu exercitio, hoc est practice procedere, quia est operari.

XXXI. Ad fundamenta autem opposita constat ex dictis, dicimus enim quod illa iudicia tam in universali, quam in particulari pertinent ad lineam practicam, sed non eodem modo semper applicantur, et ordinantur; potest enim id quod practicum est ex sua specie, et ratione formali, modo non practico applicari, et ordinari, et sic dicitur speculativum iudicium etiamsi sit de re practica, quia saltem quantum ad modum speculativum est. Nec nos dicimus, quod illud iudicium

in universali: Omnis acceptio rei alienæ est illicita, pertinet ad speculationem, et illud particulare: Hæc acceptio rei alienæ est illicita, pertinet ad practicum; sed utrumque potest ad praxim pertinere si operativo, et prudentiali modo ordinetur, id est, cum regulatione, et ordine ad operandum; et utrumque potest speculativo modo attingi, si tam ipsa ratio, et natura actus in communi, quam ipsum iudicium in particulari solum attendatur pro cognoscenda ipsa natura rei, et quid in se sit, non pro operanda hic et nunc, et attentis circumstantiis.

XXXII. Ad secundum fundamentum dicitur verum esse, quod altera præmissa existente dubia, conclusio illata non potest esse certa, negamus tamen quod iudicium speculativum dubium sit præmissa deserviens pro conclusione practica; sed dicimus utrumque iudicium de quo loquimur in præsentia tam speculativum, quam practicum esse iudicium per modum conclusionis, unum illatum ex suis præmissis speculativis modo speculativo; alterum ex practicis modo practico; non vero speculativæ præmissæ serviunt pro inferenda conclusione practica, quæ prudentialiter infertur, non scientifice. Quare in illo syllogismo, qui ponitur in argumento, dicimus quod illa præmissa universalis speculative cognita non influit in conclusionem practicam, si est dubia; sed conclusio si est practica, et certa infertur ex aliis præmissis modo practico, et prudentiali dispositis, videlicet: Facta sufficienti diligentia humano modo, et non invento quod sit malum licet illud agere, licet dubitemus speculative. Hic et nunc est facta sufficienti diligentia circa hunc contractum, vel hunc actum, et non invenitur in eo malitia: ergo licet operari.

XXXIII. Conscientia dubia si su-

matur dubium speculative pro eo quod potest esse verum vel falsum, seu ad utrumque contingens, est idem quod opinabile, seu probabile, et non certum, quia semper habet formidinem de opposito, et potest subesse vero, vel falso. Si vero sumatur dubium practice, seu operative, est idem quod indeterminatum ad operandum pro utraque parte. Et sic conscientia dubia dicitur illa, quæ habet formidinem ex utraque parte, ita quod neutra vincit alteram sufficienter, sed hæsitat, et non determinatur ex vi rationum. Sic ergo dubitatio practica habet annexam indeterminationem, et indecisionem ex parte rationum, et fundamentorum, ita quod hæc pars non vincat illam etiam prudentialiter, et in modo operandi. Dubium autem practicum cum in ipsamet prudentia dubitationem relinquat, non pervenit ad formandum iudicium prudens determinate, sed infra determinationem prudentiæ manet, sicut dubium speculativum relinquit dubitationem in scientia, seu cognitione ipsa scientifica et illativa, ita quod ad certum iudicium non pervenit. Dictamen autem quod non pervenit ad hoc ut sit prudens determinate, si sequamur illud imprudentia erit, atque temeritas.

XXXIV. Conscientia scrupulosa minor est dubia, scilicet illa, quæ levi dubio ducitur, et habet hæsitationem, seu indeterminationem ortam ex parvo fundamento, sed tamen licet scrupulus sit dubium parvum et leve, si tamen practicum sit, id est, in ipsa prudentia, et in modo prudentiali agendi, impedit formare prudentiale dictamen stante tali scrupulo. Unde vel deponi debet, aut contemni, ut illo non obstante formetur iudicium prudentiale de facto, et determinate. Quod si non formetur impediente scrupulo, semper id quod fit erit extra li-

mites prudentiæ, et sine regulis rationis.

XXXV. Conscientia erronea est, quæ falsis principiis, et fundamentis format dictamen, seu iudicium, et tamen apparenter repræsentat rem illam tamquam regulam rationabilem agendi, cum in re vera regula non sit.

XXXVI. Petes: Quid sit conscientia secunda? Respondetur non annumerari conscientiam securam inter membra dividenda, quia securitas conscientiæ est finis, qui intenditur in conscientia formanda, et potest inveniri conscientia secunda, tum in conscientia certa et indubitata, tum in probabili, si practice probabilis sit. Conscientia ergo secunda potest uno verbo dici, quod est conscientia prudenter formata; ubi enim prudentia operatur, abest temeritas, et sic secure proceditur, quia prudentia securam regulam præbet cum sit virtus. Unde discerni potest, quod conscientia ut sit secunda semper postulat aliquam certitudinem saltem practice. Nam si sit secunda, quia indubitata et certa, nec aliqua formidine pulsatur, manifeste constat securam et certam esse. Si sit secunda quia probabilis, debet habere certitudinem de ejus probabilitate, id est, quod licet pulsetur aliqua dubitatione de ejus veritate (quod pertinet ad speculationem) tamen debet esse certus, quod fecerit sufficientem diligentiam, et humano modo, sicut requiritur ad prudentiam. Et tunc est certus prudentialiter, et moraliter, sicut requiritur ad prudentiam, quia est certus diligentiam fecisse, aut illam observasse, quæ ad prudentiam requiritur; prudentia autem regula certa est, et habitus certus practice, si quidem est virtus. Si autem non pervenitur ad hoc ut iudicium de facto, et certo sit prudens, erratur in illo, et conscientia non est secu-